

positionis ibidem recitata, manifestam continent improbabilitatem, sicut ostendit Petrus de Palude (dist. 11, q. 2). « *Primum* siquidem non valet. Quia, licet corpus assumptum sit mediante anima, non tamen propter hoc corpus est anima, nec e converso: nunquam enim una pars prædicatur de alia sub nomine partis, quamvis sint idem supposito, nisi solum denominative, quia sic importat totum. Præterea, sic dicitur in duobus accidentibus, vel in substantia et accidente, ut album est musicum, et Deus est albus; non sic autem in duabus partibus substantialibus; unde non dicitur caput pediatum, nec tibia peditata, quamvis pes insit mediante tibia; et, si propter hanc mediationem posset dici tibia peditata, aut brachium manicatum, non tamen potest dici tibia pes, nec brachium manus, aut econtra, sed magis homo pedatus. Sic ergo forte corpus Christi propter illam mediationem posset dici panem, vel paneatum; non tamen posset dici panis; sed totum suppositum diceretur impaneatum, vel paneum, sicut dicitur corporeum a corpore. Immo, cum panis dicat suppositum, quia panis est quoddam corpus, posset dici quod suppositum est panis. Et sic esset communicatio idiomatum respectu assumptis et assumpti, non respectu medii assumptionis; hoc enim non facit mediatio assumptionis, sed identitas suppositi, et modus prædicandi; quia concretum significat per modum totius, et non partis. — Similiter nec valet *secundum* quod ponit positio illa. Quia, sublata communicatione idiomatum, destruitur quod inexistens unius non verificat prædicationem inexistens alterius. Dato etiam quod esset ibi communicatio idiomatum, non sequeretur corpus Christi magis in altari esse, quam econtra panem esse in cælo; quia, sicut Deus est in utero per hoc quod Deus est ille homo, ita Filius hominis est in cælo per hoc quod Deus est in cælo; quod ipsi non dicunt. Nec hoc est essentialiter corpus Christi esse realiter hic, sed suppositum corporis; quia essentialiter corporis et sanguinis non est usquam, nisi (x) vel localiter, vel (z) per conversionem. — Similiter *tertium* non valet. Quia, si propter hoc quod essentia panis non habet ibi proprium esse, posset dici non manere, sed transire, pari ratione, in incarnatione dici posset humana natura transire, non manere; quia, secundum eos, non habet ibi proprium esse. Item, cum conversio non sit nisi communicantium in materia, secundum eos, si in Deo non est nisi unum esse, scilicet divinum, cum in esse divinum nihil possit converti, ergo non est in quod illud esse panis convertatur. Et quod dicunt, quod panis fit (γ) corpus Christi, et corpus Christi fit (z) panis, quod non

esset, nisi maneret, — exponendum est: id est, ubi erat panis, ibi fit corpus Christi. » — Hæc Petrus, et bene.

II. Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra eandem conclusionem, dicitur primo, quod, si major sic intelligatur, quod terminus per se illius conversionis vel transsubstantiationis sit substantia corporis Christi, ita quod presentia subjecti ad species panis conversi nullo modo sit per se terminus, nec primo, nec secundo, illius transsubstantiationis, sed omnino de per accidens se habeat ad illam transsubstantiationem, major, inquam, sic intellecta, falsa est. Sicut enim generatio substantialis primo et per se terminatur ad formam substantialem tantum, sed per se secundo terminatur ad quantitatem et figuram et alias per se passionem consequentes formam substantialem rei generate, et ulterius ad locum ejus; sic, licet transsubstantiatio per se primo terminetur ad substantiam corporis Christi, tamen per se secundo terminatur ad multa alia, inter quæ est unum presentia substantie corporis ad species panis transsubstantiati. Nec est inconveniens unam mutationem terminari ad duos terminos per se, sub quodam ordine, quorum unus potest dici terminus intrinsecus, alius autem terminus extrinsecus, perfectitatem habens ad intrinsecum, et per se consequentiam et sequelam. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 9, art. 3, sic dicit: « In qualibet generatione vel mutatione est duos terminos invenire: scilicet terminum *a quo*, et terminum *ad quem*. Uterque autem diversimode invenitur in diversis. In quibusdam enim terminus *a quo* est aliquid contrarium perfectioni acquirendæ; sicut nigredo est contraria albedini, quæ per dealbationem acquiritur. Quandoque vero perfectio acquirenda non habet contrarium directe, sed procedunt in subjecto dispositiones, quæ sunt contrarie dispositionibus ordinantibus ad perfectionem inducendam; sicut patet in corporis animatione. Quandoque vero non præsupponitur nisi privatio sive negatio formæ introducendæ; sicut in aere illuminando procedunt tenebræ, quæ per lucis presentiam remouentur. Similiter etiam terminus *ad quem* est quandoque unus tantum, ut in dealbatione terminus *ad quem* est albedo. Quandoque vero sunt duo termini *ad quem*; quorum unus ad alium ordinatur; sicut patet in generatione vel alteratione elementorum, cujus unus terminus est dispositio quæ est necessitas, alius autem ipsa forma substantialis. » — Hæc ille.

Dicitur secundo, quod, dato quod presentia substantie corporis Christi ad species non esset per se terminus primo vel secundo transsubstantiationis, sed sola substantia corporis Christi, ut ponit major; tamen minor esset neganda. Quia cum hoc stat quod per mutationem ad substantiam solam termi-

(x) nisi. — ubi Pr.

(z) vel. — sed Pr.

(γ) fit. — sit Pr.

(z) fit. — sit Pr.

natam, per se et non per accidens habetur presentia substantiæ ad species. Quia in illo casu diceretur probabilitè, quod mutatio terminata ad substantiam, esset causa mutationis terminate ad presentiam substantiæ ad species, si sint duæ mutationes; sicut dealbatio esset causa assimilationis vel acquisitionis illius similitudinis dealbati ad alia coalba, si essent duæ mutationes, quarum una terminaretur ad albedinè, alia ad similitudinè; quod tamen puto non esse verum. Unde sicut per dealbationem habetur non solum albedo, verum etiam respectus similitudinis, et utrumque per se; ita per transsubstantiationem, per se habetur substantia succedens substantiæ, et presentia substantiæ corporis Christi ad species panis transsubstantiati. Et potissime est ibi per seitas ex parte efficientis et finis: quia transsubstantiatio ordinatur ad presentiam; ideo enim Deus transsubstantiat panem in substantiam corporis sui, ut præsens hominibus fiat in sacramento, et veniat in usum hominum.

Ad secundum, negatur major, ut patet per prædicta. Quia per dealbationem habetur non solum albedo, quæ est per se terminus ejus, immo relatio similitudinis, suppositis aliis coalbis. Que suppositio semper stat; quia omne album habet partes albas, et ita sibi similes in albedine. Semper ergo, acquisita albedine, acquiritur similitudo. Et utrumque habetur per se, licet una primo, alia secundo. — Et ad probationem majoris (α), dicitur quod unius mutationis per se, est unicus per se terminus primus; sed potest haberi duos per se terminos, unum primo, et alium secundo, ut dictum est. Et, dato quod nulla mutatio haberet duos per se terminos, cum hoc stat quod per unicam per se mutationem habentur duo de per se, quorum unum est ejus per se terminus, aliud vero est aliquid per se consequens terminum, vel finis per se termini, dato quod non sit per se terminus illius mutationis; quod specialiter verum est de talibus respectibus qui non sunt per se termini primi nec principales alicujus mutationis, sed consequuntur per se primos et principales terminos mutationum. Unde illa probatio peccat per fallaciam consequentis, arguendo a negatione antecedentis ad negationem consequentis. Bene enim sequitur: *A est terminus hujus mutationis; ergo habetur per hanc mutationem per se.* Sed non sequitur: *A non est terminus hujus mutationis; ergo non habetur per se per hanc mutationem;* sicut patet; quia illuminatio non est terminus saltem primus generationis ignis flammæ, et tamen habetur per se per generationem ignis. Per generationem quippe ignis non solum habetur per se ejus terminus, immo aliqua alia; sed differenter; quia generatio est acquisitiva sui termini formaliter, cum sit acquisitio ejus; est

autem acquisitiva ejus quod consequitur per se terminum, effective.

Ad tertium dicitur primo, quod Deus potest facere corpus suum præsens cum pane, manente substantia panis, sine quacumque transsubstantiatione, vel mutatione ad substantiam terminata ut ad (α) per se terminum, puta ponendo duo corpora in eodem loco circumscriptive. Hoc tamen fieret per motum localem alterius vel utriusque illorum ad alterum; quod non habet locum in proposito.

Dicitur secundo, quod presentia corporis Christi ad species panis, qualis nunc est in Eucharistia, vel ejusdem rationis cum illa, non potest acquiri de novo, manente substantia panis sub ejusdem speciebus, nisi per aliquam mutationem substantialem noviter factam in corpore Christi vel substantia panis, vel aliqualem unionem unius ad alteram, concurrente aliquo motu locali, ut in probatione conclusionum dictum fuit. Cum autem fides non ponat hujusmodi motum factum in corpore Christi, nec aliqua mutatio panis localis fiat, restat quod ista presentia requirit transitum substantiæ panis in corpus Christi. — Confirmatur. Quia, si (ϵ) substantia corporis Christi habere potest presentiam ejusdem rationis ad species panis, manente substantia panis, quam nunc habet, non manente substantia panis: aut substantia corporis Christi esset sub speciebus, mediante propria quantitate; aut immediate per seipsam; aut per utrumque. Si detur primum, aut tertium, tunc substantia corporis Christi esset hic localiter et circumscriptive; et cum illo modo non possit esse in locis pluribus, oporteret quod, dum incipit esse in Eucharistia, relinqueret proprium locum quem habet in cælo, per novum motum aut mutationem localem; quod est falsum. Si detur secundum, tunc, cum substantia materialis, ut abstrahit a quantitate, non possit fundare respectum presentie de genere *ubi* aut *situs*, nec possit fundare respectum presentie ad aliam substantiam materialem supposito distinctam, eo modo quo anima rationalis vel forma substantialis est præsens corpori quod informat, vel econtra, nec eo modo quo subjectum est præsens accidenti, vel econtra, nec eo modo quo angelus est præsens corpori quod movet vel a quo patitur, vel econtra, nec eo modo quo Deus est præsens creature quam tenet et conservat in esse, vel econtra, nec possit habere aliquem contactum molis aut virtutis ad aliam substantiam materialem, non apparet modus quo possit eidem esse præsens, cum nec angelus possit esse præsens alicui loco vel corpori nisi per aliquem contactum. Relinquitur ergo quod solo illo modo quem ponit Ecclesia, substantia corporis Christi possit esse præsens speciebus panis,

(α) terminata ut ad. — terminatam ut Pr.

(ϵ) si. — Om. Pr.

(α) majoris. — aliorum Pr.

scilicet per (α) conversionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi sub eisdem accidentibus virtute conversionis succedentem. Isto etenim et solo modo potest congrue salvari sufficiens contactus et ordo corporis Christi ad species : quia scilicet succedit subjecto specierum tanquam terminus *ad quem* subjecti conversionis, in quo manet in potentia obedientiali idem numero subjectum, divina potentia educibile de eodem termino *ad quem* ad existendum sub remanentibus speciebus, et ad omnimode idem pristinum esse. De hoc etiam latius in sequentibus dicitur.

Dicitur tertio, quod ista consequentia est simpliciter nulla : *Hic et ibi est presentia ejusdem rationis; ergo habetur per mutationem ejusdem rationis.* Et patet instantia. Nam presentia quam habet ignis ad locum suæ generationis, in instanti suæ generationis, est ejusdem rationis cum presentia quam habet ad locum terminantem motum ejus; et tamen constat quod non acquiruntur per mutationem ejusdem rationis; nam secunda acquiritur per motum localem, non autem prima, sed per substantialem generationem.

Dicitur quarto, quod probatio majoris solum concludit quod presentia substantiæ corporis Christi ad species panis, vel ad substantiam panis, potest esse sine conversione, vel transsubstantiatione, vel desinitione alicujus substantiæ; quod conceditur. Non tamen probat quod posset esse sine transsubstantiatione, vel desinitione, vel inceptioe substantiæ, et sine motu locali. Et quia in consecratione Eucharistiæ non est motus localis, nec generatio alicujus substantiæ, oportet quod sit conversio substantiæ. — Cum autem dicit quod terminus ejusdem rationis, cujusmodi est talis presentia, non potest esse proprie et per se terminus duarum mutationum distinctarum secundum genus, etc.; — patet quid dicendum sit, ex predictis. Verum enim est quod non potest esse terminus talium duarum mutationum eodem modo; sed diversimode potest esse terminus earum; quia et quantitas quandoque acquiritur per motum augmentationis, quandoque vero per substantialem generationem, et quandoque per creationem. Unde illa maxima parum habet apparentiæ, et minus veritatis.

Dicitur quinto, quod responsio ibidem recitata, bona est. Nec valet ejus impugnatio, cum fundetur in illa falsa maxima statim negata, cujus opposita est vera secundum fidem catholicam. Nam, secundum fidem, caro humana per generationem vel nutritionem acquisita, et caro per resurrectionem reparata, sunt vel erunt vel fuerunt in Christo ejusdem rationis; et tamen constat quod generatio, nutritio et resurrectio sunt mutationes specio differentes. Sic in proposito : presentia corporis Christi

ad species potest esse terminus diversarum mutationum secundum genus, transsubstantiationis, et generationis, et motus localis, ut dictum est. De falsitate predictæ maximæ diffuse loquitur sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 43, q. 1, art. 1, in solutione tertiæ quaestiunculæ, qua quaerit : Utrum resurrectio sit naturalis, vel miraculosa.

Ad quartum, negatur major. Nec valet probatio : quia, licet nutrimentum acquirat per conversionem conditiones formales absolutas aliti et ejus in quod convertitur, tamen, in instanti conversionis, forma aliti informat materiam alimenti, et acquirit *ubi* et *situm* et locum ipsius nutrimenti; aliter quod alitur et augetur, nunquam occuparet majorem locum quam prius, nec esset in alio loco quam prius, secundum se totum, nec secundum partes; cujus oppositum est verum. — Dicitur ulterius, quod, dato quod ita esset sicut ponit major in conversione alimenti in alitum, non tamen oportet quod ita sit in proposito. Quia illa conversio fit concurrente motu locali alimenti ad alitum, et ad locum ejus, et venas, et arterias, et poros; non sic autem fit in conversione substantiæ panis in Eucharistiam, in qua substantia panis non movetur ad locum corporis Christi, nec e contra. Item, in conversione alimenti, fit additio materiæ ad materiam; non sic in Eucharistia. Nec totum convertitur in totum, sed in partem, non quidem præexistentem, sed noviter productam; secus in Eucharistia. Sed, dum totum lignum convertitur in totum ignem, terminus *ad quem* est in loco termini *a quo*, et non e contra; sic in proposito.

Ad quintum, negatur minor : quia Deus posset convertere substantiam panis in corpus Christi ut existens in cælo, movendo (α) localiter panem cum suis dimensionibus ad locum Christi in cælo, et in termino motus ponendo in eodem situ dimensiones panis conversi cum dimensionibus corporis Christi; et tunc substantia corporis Christi esset sub speciebus panis sacramentaliter, et in proprio loco circumscriptive. — Dicitur secundo, quod, cum ista transsubstantiatio importet successionem duarum substantiarum sub eisdem speciebus, non apparet mihi pro nunc quod substantia panis posset converti in substantiam corporis Christi ut est in cælo, nisi modo predicto, vel consimili, interveniente motu locali specierum panis ad corpus Christi, ut sic terminus *ad quem* conversionis esset sub speciebus termini *a quo*. Et sic semper conversio requirit presentiam substantiæ corporis Christi ad species panis.

Ad sextum dicitur primo, quod, secundum predicta, cum conversio quæ communiter fit in Eucharistia, importet successionem duarum substantiarum totalium et perfectarum sub eisdem accidenti-

(α) per. — Om. Pr.

(α) movendo. — modo Pr.

bus, et, dato casu argumenti, nullum accidens panis remaneret sub quo alia substantia sibi succedere posset, videtur quod talis conversio esset impossibilis, vel saltem non esset ejusdem rationis cum illa quae modo fit. — Dicitur secundo, quod, admissis casu argumenti, neganda est consequentia ibidem facta. Quia non est simile quod adducitur pro simili: nam in tali conversione non remanent aliqua accidentia panis conversi, sub quibus substantia corporis Christi eidem succederet, et ratione quorum esset circumscriptive aut diffinitive aut alio modo in loco panis conversi; secus est de conversione moderna, in qua praedicta accidentia remanent, ratione quorum substantia corporis Christi dicitur esse ubi erat panis diffinitive vel alio modo. Et de hac materia amplius dicitur in sequentibus.

Et ista pro nunc sufficiant ad argumenta Scoti contra primam conclusionem; quae etiam militat contra tertiam.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Ad primum et secundum (α) ejusdem contra secundam conclusionem, dicitur quod responsio ibidem recitata, sufficienter evacuat primum et secundum argumentum. Et hanc virtualiter ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 75, art. 3, ut recitatum fuit in probatione conclusionis. Et similiter, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Substantia panis vel vini, facta consecratione, non manet sub speciebus sacramenti, neque alibi. Neque tamen sequitur quod annihilatur; convertitur enim in corpus Christi; sicut non sequitur, si aer, ex quo genitus est ignis, non sit hic nec alibi, quod sit annihilatus. » — Haec ille. — Item, presenti distinctione, q. 1, art. 2, arguit sic, quarto loco: « Illud dicitur annihilari, quod neque in se neque in alio manet. Sed substantia panis, facta conversione, non manet in se, neque in corpore Christi. Ergo annihilatur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, quamvis non maneat panis, neque in se, neque in alio, tamen manet corpus Christi, in quod conversus est panis; et ideo non sequitur quod sit annihilatus. » — Haec ille. — Item, in solutione primi, sic dicit: « In mutationibus naturalibus terminus a quo est forma aliqua, quae quidem non convertitur in terminum ad quem; et ideo non (β) annihilatur, nisi quatenus manet potentia in suo subjecto. Sed illud quod convertitur ad terminum ad quem, est subjectum mutationis, non quidem ut sit illud, sed ut sit sub illo. Unde subjectum annihilari non dicitur, in quantum in aliud (γ) convertitur. Unde, cum

in hac conversione terminus a quo, scilicet substantia panis, convertatur secundum se totum in terminum ad quem, scilicet corpus Christi, non quidem ut sit sub ipso, sed ut sit ipsummet, patet quod non est annihilatio substantiae panis. » — Haec ille. — Similia ponit, quinto *Quodlibeto*, art. 11, quod scilicet conversio non est annihilatio: quia non est motus ad nihil, sed ad aliquid; quia terminus ejus est corpus Christi.

Tunc ad primam improbationem hujus responsionis, dicitur quod desinitio substantiae panis, talis qualis fit (α) in Eucharistia, secundum propriam rationem distinguitur ab annihilatione, non quidem ut desinitio est, sed ut talis desinitio. Nec terminus ejus est nihilitas panis, sed non panis, qui est substantia corporis Christi. Vel, dato quod nihilitas panis esset proximus terminus, non tamen ultimus illius desinitionis, cum illa desinitio sit quasi dispositio, ordinata ad positionem corporis Christi a principali activo hujus conversionis, scilicet Deo. Annihilatio vero proprie dicta habet pro principali termino nihilitatem annihilati; et non est dispositio ad positionem alicujus positivi; vel, si ipsam concomitetur aliqua positio, hoc est per accidens, et praeter intentionem agentis.

Ad confirmationem ibidem factam, dicitur quod corruptio differt ab annihilatione proprie dicta, non solum quia aliquid corrupti manet, scilicet materia; nec solum quia negatio ad quam est, est negatio in subjecto apto, vel privato; sed etiam quia est dispositio ad generationem positivam. Nec tamen sequitur quod sit mutatio positiva de proximo et inductive, licet possit dici positiva ultimate et dispositive: quia non omne disponens ordinatum ad inductionem positivi, est positivum, cum multae sint dispositiones negativae. Sic in proposito, de desinitione panis, tertium membrum divisionis statim positae sufficit ad distinguendum eam ab annihilatione proprie dicta. Rursus, quia, licet nihil panis desinentis maneat actu in se vel in alio, manet tamen illud in quod conversus (β) est, scilicet corpus Christi, in quo etiam aliquantulum remanet panis in potentia obedientiali, ut ex corpore Christi secundum esse sacramentale in Eucharistia, possit, per Dei potentiam, panis redire: ut sicut, pane desinente esse sub speciebus, corpus Christi incipit esse sub eisdem; sic econtra, corpore Christi desinente esse sub illis, iterum redeat substantia panis sub eisdem, ut postea dicitur. Et sic iterum negatio ad quam est desinitio substantiae panis, posset aliquantulum dici privatio et negatio, non quidem in subjecto apto, sed in accidentibus manentibus, in quibus manet aptitudo, non quidem naturalis, sed obedientialis, ad iterato informandum substantiam panis.

(α) et secundum. — Om. Pr.

(β) non. — Om. Pr.

(γ) aliud. — illud Pr.

(α) fl. — sit Pr.

(β) conversus. — convertum, Pr.

Ad secundam confirmationem, negatur minor : quia positio corporis non omnino se habet de per accidens ad desinitionem substantiæ panis; cum desinitio de per se ut nunc ordinetur ad illam positionem, et propter illam intendatur, et ad illam disponat, ut dictum est. Cum autem dicitur quod desinitio possit separari a positione, etc.; — dicitur quod, posito illo casu, talis desinitio, quæ nec ex se nec ex intentione agentis ordinaretur nec disponderet ad positionem alicujus termini positivi, sicut ista facit, non esset ejusdem rationis cum ista. Et ideo non sequitur, si illa esset annihilatio, quod etiam ista sit annihilatio; potissime quia, ut dictum est, terminus proximus hujus desinitionis non est pura negatio, sed negatio in apto, et rei quæ, licet non maneat in se, manet tamen illud in quod conversa est, cum potentia obedientiali ad rem desinentem.

Ad tertium dicitur, negando majorem. Quia, in tali casu, nec panis nec corpus Christi omnino eodem modo se haberent ut nunc se habent. Quod patet de pane : quia, si ipse annihilaretur, sua desinitio nullo modo esset dispositiva, nec intenta, nec ordinata ad positionem substantiæ corporis Christi, sicut est nunc; nec maneret actu in se, nec aliquid in quod conversus esset, sicut nunc manet. Similiter tunc non maneret in potentia obedientiali alicujus positivi, sicut nunc remanet in potentia obedientiali corporis Christi secundum esse sacramentale, ut dictum est. Corpus Christi nihilominus non eodem modo se haberet ad panem, aut ad ejus desinitionem : quia non esset finis desinitionis panis; nec haberet potentiam passivam obedientialem ad reditionem panis conversi. Et multe aliæ dissimilitudines dari possunt inter illum casum et præsentem. Et ideo non sequitur, si illa desinitio esset annihilatio, quod et ista.

Ad quartum patet solutio per predicta. Conceditur enim quod *non esse* panis est novum in corpore Christi : quia, licet prius, ante desinitionem panis et conversionem ejus in corpus Christi, per rationem disparationis, in corpore Christi esset *non esse* panis; tamen illud *non esse* nullo modo conjunctum erat potentiæ obedientiali relicte in corpore Christi ad substantiam panis, sicut est post conversionem. Et sic patet quod *non esse* panis est novum, et novatio in corpore Christi, et novatio sub speciebus. — Dicitur secundo, quod, dato quod *non esse* panis non esset novatio in corpore Christi post desinitionem panis, esset tamen novum in se, et ordinatum et intentum et disponens ad positionem substantiæ corporis Christi.

Ad improbationem responsionis secundo loco recitata, dicitur quod illa tria argumenta contra eam inducta, bene concludunt quod, post conversionem panis, non est aliquid actu in se vel in alio; non autem probant quin sit potentialiter obedientialiter in corpore Christi post conversionem. Secus enim

est de terminis hujus conversionis, et de terminis aliarum mutationum naturalium, in quibus materia non mutatur in aliam materiam, nec terminus a quo potest remanere potentialiter in termino ad quem, sicut est hic.

De predictis sanctus Thomas, quinto *Quodlibeto*, art. 11, sic dicit : « Annihilatio quemdam motum importat. Omnis autem motus denominatur a termino ad quem. Unde terminus annihilationis est nihil. Consecratio autem panis non terminatur ad nihil, sed ad corpus Christi; alioquin non esset dare quomodo corpus Christi incipiat esse in sacramento; non enim incipit ibi esse per motum localem, alioquin desineret esse in cœlo. Relinquitur ergo quod, in consecratione panis, non est annihilatio aliqua, sed transsubstantiatio panis in corpus Christi. » — Hæc ille.

II. Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contra eandem conclusionem et alias duas, respondet Petrus de Palude (dist. 11, q. 3), dicens quod major argumenti falsa est : « quia immo conversum, secundum quod hujusmodi, non manet secundum aliquid sui. Unde aer qui convertitur in ignem, dicitur converti secundum formam, et forma dicitur conversa, secundum nihil sui manens; non autem dicitur conversus secundum materiam, sed additus. Et similiter, quia hæc conversio est secundum totum, ideo totum desinit esse; alias non esset conversio totius in totum. Vel potest dici, sine assertionem, quod Deus potest convertere substantiam in accidens, et e converso, sicut in generatione quæ fit ex speciebus. Et tunc substantia panis convertitur in corpus Christi, secundum esse præsens realiter in altari; et corpus Christi, secundum esse in altari, est in potentia obedientiali ad esse substantiam panis; ut sic materia in materiam, et forma in formam convertantur, non secundum esse substantiale absolutum, sed secundum illud esse in altari. Cum enim eorum quorum unum est in potentia ad aliud, Deus possit unum convertere in aliud, si materia est in potentia ad formam, Deus potest convertere materiam in formam, et e converso; quia potest reparare quod destruxit. Nec oportet illud de quo fit aliud, manere in illo, actu, tanquam partem; quia de materia educitur forma, cujus pars non est materia. Et similiter, cum omne accidens corporeum, sit in potentia materia, de potentia materie educi potest; et in illud materia converti potest, et e converso accidens in materiam. Et, secundum hoc, post conversionem manet, secundum esse potentiale, totum in corpore Christi secundum esse in altari. Dico autem *potentiale* a potentia obedientiali, non naturali. Secundum autem istum modum, aliter (α) manet panis in potentia post con-

(α) Secundum autem istum modum, aliter. — autem secundum modum; aliter enim Pr.

versionem in corpore Christi, quam maneret post annihilationem : nam post annihilationem fieret vel (α) de nihilo, vel de corpore Christi secundum se, et non de esse corporis Christi in altari, cum illud esse non esset. » — Hæc Petrus, et bene, concorditer sancto Thomæ quoad sensum; licet verba in aliquo dissonent, potissime cum dicit in mutatione naturali unam formam converti in aliam, cujus oppositum supra dictum est.

Ad secundum respondet Petrus (ibid.), concedendo majorem. « Quia terminus actionis quæ (β) est conversio, est corpus Christi secundum esse in altari. Et hic attingitur. Quia, sicut terminus corruptionis est generatio, sic terminus corruptionis panis est terminus generationis modi essendi in corpore Christi. Et, sicut Magister (γ) posuit nihil de alimento converti in veritatem humanæ naturæ quoad additionem, sed quoad modum essendi, ut non consumatur, vel ut calor habeat in quid agat; sic et corruptio panis fit, non ut convertatur in corpus Christi secundum esse intrinsecum sibi additum, sed in modum essendi ejus sub sacramento. Et hic terminus attingitur. — Et ad improbationem hujus responsionis, dicitur in sequentibus (δ). » — Hæc Petrus, et bene; dum tamen sane intelligatur, ut scilicet terminus hujus conversionis non intelligatur esse solus respectus, aut modus, sed substantia sub modo essendi.

Ad tertium dicit Petrus (ibid.), quod, « licet totum desinat esse, non tamen totum est annihilatum : quia annihilatio est versio in nihil; hic autem est versio in aliquid. Et quando aer convertitur in ignem, non solum aer, cujus aliquid manet, non dicitur annihilari; sed nec forma substantialis, nec accidentia, de quibus nec pars nec totum manet, dicuntur annihilari, sed converti; quia vertuntur in aliquid, et non in nihil. Et similiter in nutritione, secundum opinionem Magistri, diceretur alimentum converti in esse magnum corporis nutriti, si augeatur, et non in intrinsecum veritatis (ϵ); et, licet non maneat, si totum secedat, tamen, propter effectum positivum quem relinquit, dicitur non annihilari. Et similiter conversio panis in corpus Christi secundum esse in altari sacramentaliter, quamvis nihil remaneat de (ζ) converso, quia tamen manet in suo effectu reali, de quo potest Dei virtute educi, ideo non annihilatur. » — Hæc Petrus, et bene, sane intelligendo.

Ad quartum dicit Petrus (ibid.), quod, « licet forma non convertatur in formam nisi per hoc quod

communicant (α) sibi materiam, et sic unum contrarium convertitur in aliud, hoc est via naturæ. Sed dicitur hic formam converti in formam, non quia una forma fiat simpliciter ex alia corrupta, nec quod una addatur alii (tunc enim non fieret ex una alia, sed fieret una cum alia, et compositum ex duabus); sed dicitur hic forma panis converti in formam corporis Christi, quia ex desinitione formæ panis fit existentia corporis Christi ibi, ubi erat forma panis. » — Hæc ille, et bene.

Ad quintum dicit Petrus (ibid.), quod « neutro modo materia convertitur in materiam : scilicet nec per remanere in sui simili tantum, quia hoc esset, etiamsi vere annihilaretur; nec per conjungi materiæ corporis Christi; sed per hoc quod in eam transubstantiatur ad esse ubi ipsa erat. In quantum enim, per desinitionem materiæ panis, fit materia corporis Christi ibi realiter præsens ubi alia erat localiter prius, dicitur materia converti in materiam ». — Hæc Petrus, et bene.

Ad sextum patet solutio per dicta ad argumenta Scoti : quia scilicet in illo casu substantia panis conversi plus maneret in corpore Christi, quam substantia panis annihilati. Et ulterius, dato quod non aliter nec plus maneret in corpore Christi substantia unius quam alterius, tamen desinitio unius aliter, in genere causæ materialis, dispositive se haberet ad positionem corporis Christi, quam desinitio alterius, ut sæpe dictum fuit.

Ad septimum, negatur major. Ut enim patet ex prædictis, si substantia panis conversi in corpus Christi eadem numero divina virtute rediret, ipsa in tali casu non crearetur proprie; sed fieret ex corpore Christi secundum esse quod habet in Eucharistia, licet non fieret ex illo absolute. Et huic solutioni concordat illud quod dicit sanctus Thomas, 3 p., q. 77, art. 5, ubi sic dicit : « Si substantia panis et vini conversa est in corpus et sanguinem, non potest substantia panis vel vini redire, nisi corpore aut sanguine Christi iterum converso in substantiam panis vel vini; quod est impossibile; sicut si aer sit conversus in ignem, non potest redire aer, nisi iterum ignis convertatur in aerem. » — Hæc ille. — Similia ponit, duodecima distinctione *Quarti*, q. 1, art. 2, in solutione quartæ quæstiunculæ. Ex quibus patet eum sensisse quod substantia panis conversa redire non potest, nisi corpus Christi e converso vertatur in substantiam panis. Quod autem reputat hoc impossibile, non contrariatur prædictis. Nam bene est impossibile secundum potentiam Dei ordinatam, non autem secundum absolutam. Item, licet, secundum ordinatam, sit impossibile quod substantia corporis Christi secundum esse absolutum vertatur in panem, non tamen secundum esse sacramentale, modo quo dictum est prius.

(α) vel. — alias Pr.

(β) quæ. — qui Pr.

(γ) Cfr. Mag., 2. Sentent., dist. 30, et S. Thom., ibid., q. 2, art. 1.

(δ) Cfr. § seq., I, ad 2^{um} et ad 3^{um}.

(ϵ) veritatis. — virtutis Pr.

(ζ) de. — in Pr.

(α) communicant. — communicat Pr.

Ad octavum, negatur major, ut patet ex solutione primi et secundi Scoti. Nam, licet substantia panis post consecrationem nihil sit, illud tamen in quod conversa est, et in quo potentialiter manet, est aliquid; et ideo non est annihilata.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra tertiam conclusionem, quod etiam virtualiter recitat Durandus, respondet Petrus de Palude (dist. 11, q. 2), dicens quod « illud quod præassumit, non valet. Quia, secundum eos, in angelo sunt causæ quare ipse est omni corpori præsens realiter ex habitu sine sui : scilicet carentia quantitatis, actu et aptitudine, quæ est solum causa *sine qua non*; et immediatus ordo ad omne corpus, quod ipse potest movere immediate. Propter quod, secundum eos, anima separata, est nusquam, propter carentiam quantitatis; sed non est alicubi præsens, propter nullum ordinem movendi ad corpus. Unde si substantia corporea, quæ est nata esse quanta, sit separata actu a quantitate (α), dato quod propter hoc sit nusquam et indistans (quia sola quantitas facit distare localiter), non tamen propter hoc erit realiter præsens cuilibet corpori : quia non ex se haberet immediatum ordinem movendi quodlibet corpus, sicut nec anima separata; et, per consequens, absolutio ab usu quantitatis non facit eam præsentem alicui. Et licet faciat non distantem, vel non absentem, tamen oportet dare aliquod positivum, quod faciat eam præsentem : quia substantia quæ est nata esse quanta, non est nata esse præsens vel absens, nisi per quantitatem, aut nisi detur sibi modus spiritus (β). Quod forte de solo corpore Christi posset verificari, secundum illum modum : quia, si corpus Christi habet virtutem movendi omne corpus immediate, sicut angelus, et absolvatur ab usu quantitatis, tunc etiam, eadem ratione qua et angelus erat præsens realiter omni corpori, corpus Christi, de se, sine aliqua conversione, esset præsens (γ) omni corpori. Sed istum modum isti non ponunt. Nec etiam sufficit in angelo. Et si sufficeret in angelo, qui non est natus distare, non tamen in corpore, quod est natum distare, et maxime quod actu distat : quia, si anima, quamdiu est intra (δ) corpus, haberet potentiam movendi immediate omne aliud corpus, non propter hoc minus distaret a corpore exteriori quam prius; ab omni enim corpore distat quantum suum proprium cor-

pus distat, quamdiu est ejus forma, et corpus ejus utitur quantitate. Unde, cum corpus Christi sit subjectum quantitatis, per quam est localiter in loco, scilicet in cœlo, et si non absolvatur ab usu quantitatis qua locum occupat in cœlo (α), videtur sola absolutio respectu panis non (β) facere ipsum minus distare quam prius. Aliud (γ) ergo quærendum est ». — Hæc Petrus, et bene. — Mihi tamen videtur illud dictum de angelo esse simpliciter falsum, scilicet quod sit actu præsens cuilibet corpori quod potest immediate movere. Et de hoc dictum fuit satis, 2. *Sentent.* (dist. 2, q. 1), dum tractaretur quomodo angelus est in loco. Conceditur tamen quod dictus ordo angeli ad corpus ab eo mobile, facit ipsum præsentem in potentia, sed non actu : quia, ultra hoc, requiritur actualis contactus virtutis, ut ibi dictum fuit.

Ad secundum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « verum est accidentia remanentia non plus facere quam dicit arguens. Sed falsum est conversionem substantiæ hoc non facere : quia facit primum terminum conversionis loco conversi succedere. Nec est verum quod fiat conversio in quantitatem ex consequenti : quia terminus *a quo*, scilicet substantia panis, non convertitur in accidens, nec econtra, dato quod quantitas possit converti in quantitatem; unde, cum conversum sit substantia, non quantitas, non est conversio nisi in substantiam. Nec sequitur, si quantitas est ibi, quod sit ibi sicut terminus conversionis; sicut patet de divinitate, in quam nihil converti potest, quæ tamen est ibi. Nec requiritur ibi absolutio ab usu quantitatis, ubi quantitas non est per se, sed per substantiam : quia sicut substantiam esse alicubi per quantitatem, sine alio, facit eam esse ibi modo quantitativo; sic e converso, quantitatem esse alicubi per substantiam, facit eam ibi esse modo substantivo ». — Hæc Petrus, et bene. — Tamen videtur mihi quod accidentia remanentia, in quibus corpus Christi succedit substantiæ panis, faciunt formaliter, licet non effective, quod corpus Christi sit in altari realiter diffinitive, aut sacramentaliter, vel alio modo, sicut faciebant quod substantia panis erat ibi circumscriptive. Conversio enim præterita, non est formalis ratio essendi in loco, sed potius se habet ut effectiva.

Ad tertium dicit (ibid.) : « Concedendum est, inquit, quod determinata conversio dat habitudinem ad aliquid determinatum; sed plus, quia dat ibi esse realiter, per hoc quod facit succedere illi quod hic erat realiter. » — Hæc Petrus, et bene, intelligendo ut prius.

Ad quartum dicit (ibid.) quod « Deus potest absol-

(α) *et.* — Ad. Pr.

(β) *spiritus.* — *speciei* Pr.

(γ) *erat præsens realiter omni corpori, corpus Christi, de se, sine aliqua conversione, esset præsens. — erit præsens realiter Pr.*

(δ) *intra.* — *infra.* Pr.

(α) *non.* — Ad. Pr.

(β) *non.* — Om. Pr.

(γ) *Aliud.* — *Illud* Pr.

vere quantitatem ab usu occupandi locum; sed per hoc quantitas, aut res quanta, non erit nisi ubi prius erat. Et sic, nisi corpus Christi fuisset motum de loco ubi prius erat, absolutio ab usu quantitatis non fecisset ipsum esse ubi prius non erat: sicut ultima sphaera non est nisi (α) ubi esset, si haberet corpus continens (β) materialiter; et tantum distat a cæteris, quantum distaret, si circumscriberetur et occuparet locum. Absolutio ergo ab usu quantitatis non dat realem præsentiam; sed, illa supposita, facit non esse localiter ubi esset localiter. » — Hæc ille, et bene.

Ad quintum dicit (ibid.) quod, « dato quod Deus corpori existenti in cælo possit dare illud *ubi* numero, quod haberet existens in terra, non tamen propter hoc esset in terra: sicut, si posset dare homini paternitatem, sine hoc quod genuisset, non tamen esset pater; quia non est idem esse patrem et (γ) habere paternitatem, sicut esse album habere albedinem; sed est genuisse. Unde et Christus est filius Virginis, non per habere filiationem, sed per esse genitum. Sic etiam, licet Deus posset dare corpori Christi idem *ubi* sacramentale numero, quod in eo causatur ex conversione, si est aliqua res differens, tamen non esset hic realiter, quamvis haberet ipsum esse hic: quia esse hic sacramentaliter realiter, est succedere vel successisse hic (δ) ei quod hic (ϵ) erat localiter; quod sine conversione esse non potest. » — Hæc Petrus, et male, quoad hoc quod dicit, quod esse patrem non est idem convertibiliter cum hoc quod est habere paternitatem. Oppositum enim hujus videtur esse per se notum. Item, impossibile est habere paternitatem, et non genuisse; et impossibile est patrem (ζ) genuisse, et non esse vel fuisse patrem; quia ex tali fundamento, posito termino, necessario resultat relatio paternitatis. Quod autem dicit de Filio Virginis, parum valet: quia nullus unquam negavit quin Filius Dei, quantum ad humanitatem, habeat respectum filiationis realem vel rationis ad Virginem; immo etiam, ut fuit visum in *Tertio* (dist. 7 et 8, q. 1), habet realem respectum ad Matrem, licet non mereatur dici filiatio, propter suppositionem humanitatis in alio supposito; qui tamen respectus diceretur et esset filiatio, si humanitas deponeretur a Filio Dei. Consimiliter falsum est quod aliquid possit habere illud *ubi* numero quod haberet existens in terra, et non esse in terra: quia esse in terra non aliud est quam habere respectum de genere *ubi*, vel consimilem, ad terram. — Aliter ergo dicitur ad argumentum; quod respectus per nullam potentiam potest causari

(α) nisi. — Om. Pr.

(β) nisi. — Ad. Pr.

(γ) et. — Om. Pr.

(δ) hic. — hoc Pr.

(ϵ) hic. — ibi Pr.

(ζ) patrem. — matrem Pr.

vel haberi in aliquo sine suo fundamento; et quia corpus Christi esse hic sacramentaliter, dicit in corpore Christi respectum fundatum super conversionem præsentem aut præteritam, sicut paternitas dicit respectum fundatum super generationem activam, ideo, sicut impossibile est aliquem habere respectum paternitatis, non interveniente generatione activa, ita impossibile est corpus Christi habere prædictum respectum, non interveniente conversione alicujus substantiæ in ipsum. Falsum est etiam quod Deus possit facere omnem effectum sine causa secunda, quæ est causa ejus solum in fieri: Deus enim non posset creare creaturam subsistentem, sine creatione passiva intermedia, secundum sanctum Thomam, 1 p., q. 45, art. 3, in solutione tertii; et tamen eadem creatio habet aliquam causalitatem in fieri respectu creaturæ, sicut passio respectu sui termini, sicut et aliquam prioritatem, ut dicit ibidem. Et de hoc satis dictum fuit in *Secundo* (dist. 1, q. 2).

II. Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contra eandem conclusionem, respondet Petrus (dist. 11, q. 2), dicens: « Corpus Christi bene potest esse in altari cum substantia panis localiter, descendendo (α) de cælo, Deo faciente esse duo corpora in eodem loco. Sed quod (β) manens in cælo localiter, sit in altari cum substantia panis sacramentaliter, non potest esse. — *Ad formam* igitur, dicendum quod major est vera de esse locali, et falsa de esse sacramentali: esse enim cum alio localiter, quantitas impedit; non autem esse simul sacramentaliter, quia non est ibi modo quantitatis. Minor autem est vera de esse sacramentali, et non locali. Et sic conclusio non sequitur: quia corpus Christi potest esse cum quantitate panis sacramentaliter, per hoc quod succedit substantiæ ejus; nec tamen sequitur quod possit esse cum substantia. » — Hæc Petrus.

Ad secundum (γ) dicit (ibid.) quod « non sequitur: Si propter conversionem substantiæ in substantiam est ubi prius erat panis, substantialiter et sacramentaliter; ergo per conversionem substantiæ cum quantitate esset ubi prius non erat, sicut et circumscriptive. Immo tunc non esset ibi aliquo modo, nec quoad substantiam, nec quoad quantitatem, nec modo substantiali, nec modo quantitativo: quia pro tanto ponitur esse ubi erat substantia in se conversa, quia ibi manent species locum occupantes sicut prius, mediantibus quibus substantia conversa ibi erat; et quia corpus Christi succedit substantiæ in se conversæ, non quantum ad inhæ-

(α) descendendo. — descendente Pr.

(β) quod. — cum Pr.

(γ) Per hanc responsionem fit solutio ad argumentum quod incipit sic: *Primo*, quia, si propter conversionem panis in corpus Christi, etc.

rentiam, sed quantum ad immediatam præsentiam, ideo, sicut non esset ibi substantia panis nisi essent species, ita nec corpus Christi; unde, si panis converteretur in corpus Christi, et accidentia ejus annihilarentur, non esset ibi corpus Christi; et quia per conversionem quantitatis non remaneret quantitas, ideo per hoc non esset ibi corpus Christi ».

Ad tertium (x) dicit (ibid.) quod, « cum dicitur quod per conversionem fit conversum in loco termini, non e converso, si est conversio in præexistens; — dicendum est quod verum est quando conversum secundum nihil sui remanet in loco priori, et secundum aliquid sui additur ad convertens, sicut in alimento. Sed quando conversum sic transsubstantiatur, quod nihil ejus remanet in loco priori, convertenti, et aliquid ejus remanet in loco priori, tunc conversum non potest dici esse in loco convertentis: nec secundum id quod manet, quia illud conversum non est, sed est a convertente separatum; nec secundum id quod conversum est, quia illud non remanet, et quod nihil est in se, nihil est in alio. Sed e converso, convertens potest dici esse in illo loco conversi: quia, per conversionem in se factam, succedit secundum præsentialem ipsi quod in ipsum conversum est; et sic, sicut illud erat ibi, sic et istud ibi fit; quamvis istud imaginationem transcendat, et nihil tale videamus in naturalibus. »

Ad quartum dicit (ibid.) quod « bene verum est quod (6), si corpus Christi ibi esset, posset dici, *Hoc est corpus meum*, manente substantia panis; sicut si esset ibi localiter utrumque corpus, utrumque posset determinari, et ad utrumque ferri vel fieri demonstratio, ad sensum, si sensibiliter, et ad intellectum, si solum sacramentaliter. Et si posset demonstrari, non obstante substantia, sicut nunc, non obstante quantitate et qualitate, similiter posset adorari sine idolatria, non obstante substantia, sicut nunc, non obstante quantitate: quia, quidquid ibi sit cum corpore Christi, sive accidens, sive substantia, sive utrumque, sacerdos non intendit præsentare ad adorandum, nec populus adorare, nisi corpus Christi. Sed probatum est quod, manente substantia, non potest ibi fieri corpus Christi: quia ibi non potest esse realiter aliquid, nisi aut per illapsum (quemadmodum Deus est in omnibus spiritibus, et spiritus creatus in corpore assumpto), aut localiter (quemadmodum per miraculum duo corpora sunt simul), aut per conversionem; si ergo est hic corpus Christi, cum non possit hic esse per illapsum, si non est hic per conversionem, erit hic per locationem, sicut fuit quando exivit clauso utero Virginis, et sepulchro, et ostio; et sic non erit simul

in cælo, et in pluribus altaribus; quod est erroneum. » — Hæc Petrus, et bene, quantum ad hoc quod dicit quod impossibile est corpus Christi incipere esse sub speciebus panis nisi per mutationem substantialem panis, aut per motum localem panis aut corporis Christi. — Verumtamen illud quod dicit (ad tertium) de nutrimento et nutriibili, non videtur mihi simpliciter verum. Quia, ut dictum est prius (x), forma aliti, cum noviter informat materiam alimenti, accedit aliquo modo ad situm et ad ubi materie alimenti, ac per hoc ad ubi alimenti; vel saltem materia addita et materia procedens occupant alium novum locum aliquo modo, secundum totum, vel secundum partem, quam prius; et ulterius intervenit motus localis alimenti ad alitum, quod non convenit in Eucharistia, ut dictum fuit. Ideo similitudo non valet.

Ad secundum principale Durandi dicitur, negando antecedens pro triplici sui parte: nec enim major est falsa, nec minor, nec ratio est ad oppositum plus quam ad propositum.

Et ad probationem prime partis antecedentis primam, dicitur quod instantia lata contra majorem, non valet. Quia major intelligitur sic: Nihil potest esse noviter in loco ubi prius non fuit, si locus ille prius fuit, nisi per mutationem substantialem vel localem sui vel alterius, etc. Constat autem quod, sic intellecta majore, instantia illa non procedit; quia, in illo casu quem tangit argumentum, ultima sphaera esset ubi prius non fuit, sed non in loco prius existenti, sed noviter producto. — Ad aliud quod ibi additur de mutatione panis, dicitur quod nulla mutatio panis, præter ejus conversionem in corpus Christi, faceret ibi esse noviter corpus Christi, supposito quod corpus Christi maneat localiter ubi prius, scilicet in cælo, et quod non possit illabi alteri corpori, nec esse simul localiter pluribi, nec ratione suæ substantiæ habere præsentiam ad aliud corpus, vel dimensiones alterius corporis, sine successione ad aliam substantiam, modo sæpe dicto.

Ad improbationem minoris, patet responsio per prædicta in aliis questionibus (6). Quia, licet corpus Christi non sit in sacramento tanquam in loco, veraciter tamen et realiter; et habet habitudinem ad illum locum, mediante tamen sacramento; et consequenter, dum incipit esse sub sacramento, incipit esse ubi prius non fuit, non quod sit subjectum novi ubi, sed quia habet habitudinem ad sacramentum, quod est objectum alterius ubi quam sit ubi corporis Christi in cælo.

Ad illud quod additur, quod ratio concludit oppositum, etc.; — dicitur quod ratio bene intellecta sufficienter concludit propositum, et non opposi-

(a) Hæc responsio solvit argumentum sic incipiens: *Secundo, quia per conversionem, etc.*

(6) quod. — Om. Pr.

(x) Cfr. art. present., § 1, II, ad 4^{am}.

(6) Cfr. dist. 10, q. 1 et 3.

tum. Cum enim dicitur quod *aliter se habere modo quam prius, est diffinitio ipsius moveri vel mutari*, sic intelligendum est, quod ista duo inseparabiliter et necessario sese concomitantur, scilicet *mutari, et aliter se habere nunc quam prius*; non quod de quocumque dicitur unum, dicatur et reliquum. Quia constat, dum duo corpora succedunt sibi in eodem loco, locus aliter se habet nunc quam prius, cum locet secundum corpus, et desinat locare primum, et habeat successive duos respectus ad duo corpora, et duas circumscriptiones activas ad illa; et tamen locus non proprie dicitur moveri vel mutari. Tamen illud *aliter se habere* non contingit sine motu vel mutatione alicujus, puta corporum sibi succedentium circa eundem locum. Et sic generaliter nunquam aliquid habet se aliter quam prius, nisi concurrente aliquo motu vel mutatione illius vel alterius. Et sic est in proposito: quia corpus Christi aliter se habet dum incipit esse in sacramento, quam prius se haberet; non tamen ipsum movetur, aut mutatur, sed aliquid aliud. Nec sufficit mutatio alterius ad hoc, nisi sit transsubstantiatio, ut dictum est.

Potest etiam dici, pro hoc et precedentibus, quod aliter se habere nunc et prius per se, hoc est, non per aliud, nec per accidens, sed ratione sui met, est diffinitio ipsius moveri vel mutari; et de quocumque predicatur talis diffinitio, predicatur diffinitum. Modo corpus Christi, licet habeat se aliter nunc quam prius, dum incipit esse in Eucharistia, hoc tamen non est per se, sed per aliud, scilicet per conversionem alterius in ipsum. — Proportionaliter dicitur ad alia prius inducta contra improbationem majoris: quia, in illo casu, ultima sphaera aliter se haberet, et esset in alio loco, non per se, sed per aliud, ut patet. Unde non oportet quod corpus Christi mutetur, per hoc quod aliter se habet nunc et prius; sed aliud mutatur. Et simile est in alio casu de ultima sphaera.

Ad tertium principale, patet responsio per predicta. Dicitur enim primo, quod in nullo derogat divinae potentiae ponere quod non potest impossibilia et contradictionem implicantia, sicut est quod corpus Christi incipiat esse sacramentaliter sub speciebus panis sine motu locali corporis Christi, et sine conversione alicujus in ipsum, vel motu ad locum ejus in caelo. — Dicitur secundo, quod, licet difficile sit videre quo modo per conversionem panis corpus Christi incipit esse in sacramento, tamen difficilius, immo impossibile est videre alium modum. — Dicitur tertio, quod ratio ibi facta contra conversionem substantiae in substantiam per simile de conversione quantitatis in quantitatem, superius est evacuata multipliciter ex dictis Petri (α), quia in illo secundo casu non manet ratio locandi sicut

primo casu. Et ideo, in nostra conversione, corpus Christi succedit pani converso, quoad locum et accidentia; non autem in illa conversione per quam quantitas converteretur in quantitatem.

Ad quartum principale dicitur primo, quod positio nostra in nullo est temeraria; sed potius arguens loquitur temerarie contra doctrinam per Ecclesiam approbatam. — Dicitur secundo, quod similitudo de existentia humanitatis in divino supposito per quamdam habitudinem, et de existentia corporis Christi in sacramento per solam habitudinem divinitus sibi datam, non valet. Tum quia falsum supponit: nam humanitas non est in divino supposito per solam habitudinem, sicut assumit arguens, immo per indivisionem suppositi et naturae humanae in quodam esse subsistentiae et existentiae, et tractum humanitatis ad divinum esse seu ad divinum subsistere, ut fuit dictum in *Tertio* (dist. 5 et 6). Tum quia suppositum divinum est ubique, et sic unio humanitatis ad illud non facit illam esse in duobus locis, nec extra locum proprium; praesentia autem substantiae corporis Christi ad substantiam panis alibi existentem, faceret corpus Christi deserere proprium locum, vel esse in duobus circumscriptionibus; quod est inconveniens. Et hoc satis bene deducit Petrus (dist. 11, q. 2). Tum, quia nullus ordo, aut respectus, aut habitudo divinitus impressa corpori Christi, faceret ipsum praesentem substantiae panis et ejus loco, nisi esset respectus de genere *ubi* aut *situs*, vel respectus subjecti ad accidens, vel moventis ad motum, vel respectus illabentis ad illud cui illabatur, vel assumentis ad assumptum, aut uniti ad unitum, aut aliquis similis supradictis; modo constat nullum talem respectum posse dari in proposito, stantibus nunc creditis et sanctorum dictis. Restat ergo solum illum respectum sufficere, quem sanctus Thomas ponit, scilicet praesentiam substantiae corporis Christi ad accidentia panis conversi, per successionem duarum substantiarum sub eisdem accidentibus, et conversionem primae in secundam.

III. Ad argumenta Aureoli. — Ad primum Aureoli contra eandem conclusionem, negatur minor. Et ad probationem, dicitur quod substantia corporis Christi immediate succedit substantiae panis sub eisdem accidentibus et speciebus, mediantibus quibus succedit substantiae panis quoad locum; licet substantia panis aliter se haberet ad species, quam modo se (α) habeat substantia corporis Christi, ut prius dictum fuit (6); nam substantia panis eisdem informabatur, non autem substantia corporis Christi, licet sit eis aequae praesens. Nec sequitur quod ibi sit sola transaccidentatio: tum quia

(α) sc. — Om. Pr.

(6) Cfr. dist. 10, q. 1; et, in praesent. paragr., responsion. ad secundum primi principalis Durandi.

(α) Cfr. ad secundum primi principalis.

nihil convertitur in prædicta accidentia, nec econtra aliquid accidens convertitur in aliquid; tum quia, præter successionem substantiæ ad substantiam, est ibi conversio unius substantiæ in aliam; et ideo est vera transsubstantiatio, et non sola transaccidentatio.

Ad secundum dicitur quod ista successio est secundum aliquid novum esse acquisitum corpori Christi: quia scilicet noviter habet esse sacramentale sub speciebus, sub quibus substantia panis habebat esse subjectivum, et quantitativum, et quale, et hujusmodi. Nec valet hujus improbatio, ut patet ex dictis ad primum. Item, sicut panis erat præsens speciebus, ita corpus Christi; et ita acquirit novum respectum præsentiae ad illas. Et, præter hoc, panis remanet in potentia passiva obedientiali noviter in corpore Christi, modo prius exposito (x).

Ad tertium patet solutio per prædicta. Quia in transsubstantiatione non solum est successio, immo conversio substantiæ in substantiam. Et cum probatur quod talis respectus successionis non sit in corpore Christi, quia non est dare in quo sit posterius pane, — responsum est, quoad præsentiam. Nec istud est contra Doctores: quia non solum ponimus successionem, immo conversionem et mutationem substantiæ panis. Non autem sequitur mutatio aliqua in corpore Christi; cum propter acquisitionem respectus, sine acquisitione absoluti, nihil proprie mutetur, ut patet, 5. *Physicorum* (t. c. 10). Nec similiter aliquid dicitur proprie mutari, si noviter habet in se aliquid in potentia obedientiali per conversionem alicujus in ipsum, et per hoc quod est terminus et non subjectum conversionis, nec habet aliquid actu noviter in se, sed solum in potentia. Sic autem est in proposito.

Ad confirmationem, dicitur quod talis successio est respectus extrinsecus adveniens. Nec oportet quod acquiratur per motum corporis Christi: quia et respectus de genere *ubi* potest acquiri noviter sine motu sui subjecti, sicut patet in exemplo superius posito (z); puta, si extra ultimam sphaeram crearetur alia sphaera, ipsam undique ambiens, sicut locatum proprium. Cum etiam aer convertitur in ignem, terminus conversionis acquirit novum *ubi* sine motu locali, licet concurrat ibi generatio ignis. Simile patet de pila pontis circa quam fluit aqua, et de baculo fixo in aqua, et de turri circa quam fluit aer aut ventus, et de similibus acquirentibus novum *ubi* sine sui mutatione, per solam mutationem alicujus corporis locantis ea: quia, ut prius dictum est (y), talia habent se nunc aliter quam prius per aliud, et non per se; ideo non

potest argui quod talia moveantur, sed quod aliud ab eis moveatur.

Ad quartum patet ex prædictis. Quia in Eucharistia non ponimus qualemcumque successionem, sed talem successionem, et talium substantiarum, quarum una transit et convertitur in aliam, et quodammodo manet in alia, non actu, sed potentia obedientiali. Et ideo potest dici quod una accedit ad aliam, et transit in aliam.

Nec valet confirmatio de forma substantiali et privatione: quia privatio, ut privatio, non manet in forma substantiali; ideo nullo modo convertitur in eam. Item, præter ordinem successionis, corpus Christi acquirit novum esse sacramentale, et facit quodammodo unum sacramentum cum speciebus.

Ad quintum dicitur quod secus est in mutationibus naturalibus et in transsubstantiatione supernaturali, vel etiam in creatione, vel transsubstantiatione: quia in aliis est aliquid commune subjectum utrique termino; non autem in ista (x), sed ordo terminorum ad invicem. Unde beatus Thomas, præsentis distinctione, q. 1, art. 4, in solutione primæ quæstiunculæ, sic dicit: « Hæc conversio in hoc differt ab omnibus aliis mutationibus: quia in omnibus aliis est aliquid subjectum commune; in hac autem non, sed solum est accipere duos terminos conversionis. Et ideo omnes locutiones exprimentes mutationem per quam importatur ordo termini ad terminum, concedendæ sunt in hac materia, sicut hæc, *Panis convertitur in corpus Christi*. Locutiones vero quæ exprimunt identitatem subjecti, non sunt concedendæ, proprie loquendo. Sed quia in hac conversione est aliquid simile identitati subjecti, scilicet communitas specierum, quæ manent hinc inde, quamvis ille species non sint mutationis subjectum; ideo etiam tales locutiones aliquando a Sanctis positæ inveniuntur, ut identitas importata non referatur ad subjectum, sed ad species easdem. Unde tales locutiones non sunt extendendæ, quia sunt improprie. Et quia hæc locutio, *Quod est hoc, fuit illud*, vel, *Quod est hoc, erit illud*, expresse importat identitatem subjecti mutationis, propter naturam relationis, ideo non est simpliciter concedenda. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod dictum Philosophi et Commentatoris non habet locum in proposito; quia talem mutationem, qualem ponit fides, neuter credidit. Et, præter hoc, falsum est quod in naturalibus nunquam sit habitudo inter terminos factionis nisi ratione subjecti. Unde sanctus Thomas, ibidem, in solutione tertiæ quæstiunculæ, sic dicit: « Hæc locutio, *Ex hoc fit hoc*, principaliter exprimit ordinem terminorum ad invicem, et sic per consequens importat ordinem subjecti. Unde quandoque importat ordinem tantum, sine hoc quod importet subjectum, ut cum

(x) Cfr. art. præsent., § 2, 1.

(z) Cfr. præsent. parag., II, ad secundum principale.

(y) Cfr. respons. ad secund. princp. Durandi, in hoc parag.

(x) a verbo *quia* usque ad *ista*, om. Pr.

dicitur quod *ex mane fit meridies*, id est, *post*, ut dicitur, 2. *Metaphysicæ* (t. c. 7). Et, secundum hoc, hæc erit incongrua, *Panis fit corpus Christi*. Sed hæc erit concedenda, *Ex pane fit corpus Christi*, si *ly ex* non denotet subjectum, et quasi causam materialem, sed tantum ordinem terminorum ad invicem. » — Hæc ille. — Et similia ponit, 1 p., q. 45, art. 1, in solutione tertii, dicens: « Cum dicitur ex nihilo aliquid fieri, hæc præpositio *ex* non designat causam materialem, sed ordinem tantum; sicut cum dicitur, *Ex mane fit meridies*, id est, *post mane*. » — Hæc ille. — Simile dicit, *de Potentia Dei*, q. 3, art. 1, in solutione septimi; item, 2. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 2, in solutione secundi.

Ad sextum dicitur primo, quod nusquam legi quod sanctus Thomas dicat formaliter et expresse quod transsubstantiatio, vel conversio, sit subjective in pane; licet dicat quod successio duarum substantiarum, quarum una est terminus *a quo*, et alia terminus *ad quem*, est subjective in duobus subjectis, scilicet tam in pane quam in corpore Christi, sicut numerus et ordo et consimilia requirunt duo subjecta, ut patet in probatione tertiæ conclusionis. — Dicitur secundo, quod, si transsubstantiatio sit illa successio duarum substantiarum sub eisdem accidentibus, cum consimili præsentia utriusque ad illa accidentia, et desinitione ac mutatione unius illarum in aliam, cum potentia reconversionis secundæ in primam, tunc talis transsubstantiatio dicitur potius esse subjective in pane quam in corpore Christi: quia per eam desinit esse; et magis mutatur a statu suo, et a suo esse, et a sua essentia, et qualibet sua perfectione, et quolibet realiter sibi inexistente, panis quam corpus Christi, quod nihil absolutum perdit per transsubstantiationem, immo potius aliquid acquirit, intrinsece vel extrinsece, absolute vel respective, actu vel potentia, sine tamen reali sui mutatione, ut prædictum est (α). — Dicitur tertio, quod argumentum contra hoc factum non valet. Quia, cum dicitur quod impossibile est quod aliquod accidens sit in illo subjecto, etc., — dicitur quod probatio illa optime concludit de accidente mere positivo, sed non de accidente pure negativo, vel principaliter includente negationem; cujusmodi est transsubstantiatio, quæ includit prioritatem panis respectu corporis Christi sub speciebus, et desinitionem substantiæ panis in inceptione præsentiae corporis Christi sub speciebus. Illa autem prioritas, cum sit respectus positivus, est subjective in pane, toto tempore prolationis verborum sacramentalium, præter ultimum ejus instans, in quo tempore adhuc est substantia panis sub speciebus; sed in ultimo instanti dicti temporis desinit panis esse sub speciebus, et incipit corpus Christi

esse sub eisdem. Et sicut inceptio est subjective in corpore Christi, ita et desinitio dicitur esse subjective in pane, licet tunc panis non sit: quia desinitio, cum sit accidens negativum, non requirit subjectum existens, immo subjectum non existens; nec requirit sustentans, immo cadens, cum non sit ibi realis inhærentia, nec sustentatio, sed sola denominatio rationis; sicut, cum desinit (α) esse forma ignis, desinitio dicitur esse in illa forma subjective, non per realem inhærentiam, sed propter hoc solum quia denominat eam desinentem a priori esse.

Ad septimum patet responsio ex prædictis. Quia transsubstantiatio, quoad inceptionem præsentiae corporis Christi, et quoad desinitionem substantiæ panis sub speciebus, non est nisi in ultimo instanti prolationis verborum; et, pro illo instanti, desinitio et inceptio præsentiae ad species habent sua subjecta, modo quo dictum est (ad sextum). Et de prædictis sanctus Thomas, præsentis distinctione, q. 1, art. 3, q. 2, in solutione tertii, sic dicit: « In qualibet mutatione oportet designari *nunc* et *prius* secundum duos terminos mutationis, qui sunt contingentes, ut dicitur, 1. *Physicorum* (t. c. 43 et 44), id est, qui non possunt simul esse. Unde secundum diversitatem terminorum in diversis mutationibus, secundum hoc diversimode signantur ibi *nunc* et *prius*. Aliqua enim mutatio est, inter cujus terminos potest accipi medium, etc. » Et, post multa, sic concludit: « In mutationibus in quibus termini sunt affirmatio et negatio tantum, seu privatio et forma tantum, in talibus, per se loquendo, non potest esse recessus a termino, vel accessus ad terminum, ante perventionem ad ultimum terminum; et illud *prius* non pertinet per se ad hanc mutationem, sed solum per accidens, ratione illius adjuncti ad negationem, secundum quod per accidens negatio recipiebat magis et minus, et per consequens medium; unde, per se loquendo, pertinet ad præcedentem motum, sicut ad alterationem quæ præcedit generationem, et ad motum localem qui præcedit illuminationem; et, propter hoc, istæ mutationes dicuntur esse in instanti. Et quia, ut dictum est, inter substantiam panis et substantiam corporis Christi non est accipere medium, quod magis sit propinquum corpori Christi quam substantiæ panis, quantum ad hoc quod convertitur in ipsum virtute divina, idem est iudicium de ista conversione et de prædictis mutationibus. Unde ad hanc conversionem non pertinet nisi illud *nunc* in quo desinit esse panis, et incipit esse corpus Christi; sed illud *primum* vel *prius* pertinet ad totum tempus præcedens, quod mensurabat prolationem verborum, quæ quodammodo efficit conversionem. » — Hæc ille, cum multis aliis bene facientibus ad illucidationem præ-

(α) Cfr. ad 2^{um} et ad 3^{um}.

(α) *desinit*. — *desit* Pr.

dictorum, per totum tertium articulum. Quibus similia ponit, 3 p., q. 75, art. 7, per totum.

Et quia supra dictum est quod in transsubstantiatione non solum est successio substantiarum, immo quod in corpore Christi relinquitur novus effectus, etc., de hoc Petrus de Palude sic dicit (dist. 11, q. 3) : « Ista conversio non est annihilatio, quia non est versio in nihil, sed in aliquid : licet illud in quod est conversio, non acquirat ex conversione novam formam; sicut cum aer vertitur in ignem per generationem; nec novam materiam, sicut cum cibus convertitur in cibatum; sed sicut quando est corruptio sine generatione, ut quando lux corrumpitur, ipsa forma non annihilatur, sed convertitur in subjectum, non sic quod subjectum ex luce generetur, nec quod aliquid lucis addatur essentiæ subjecti, sed transit in subjectum, cedens in potentiam ejus; et quamvis non sit plus in potentia hujus partis in quam cedit quam alterius, dicitur tamen in istam partem converti, vel transire. Sic dicitur substantia converti in corpus Christi, et transsubstantiari, et hæc substantia in illam transire : non quia in illa fiat nova forma substantialis, aut materia, sed per simplicem transitionem in illam, quia relinquit ibi novum effectum, ut statim dicitur. » — Hæc Petrus. — Quomodo autem relinquat novum effectum, recitatum est prius, in solutione primi argumenti Durandi contra secundam conclusionem.


Ad argumentum principale pro quæstione, respondet beatus Thomas, præsentī distinctione, q. 1, art. 1, q^{la} 1; in solutione primi argumenti, dicens quod « verbum Damasceni intelligendum est quantum ad species, quibus corpus Christi divinitati unitum modo ineffabili conjungitur ». — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XII.

QUÆSTIO I.

UTRUM ACCIDENTIA SEPARATA A SUBSTANTIA PANIS
CONVERSI IN CORPUS CHRISTI, POSSINT IMMUTARE
SUBSTANTIALITER ALIQUID EXTRINSECUM.

IRCA duodecimam distinctionem *Quarti*, queritur : Utrum accidentia separata a substantia panis conversi in corpus Christi, possint immutare substantialiter aliquid extrinsecum.

Et arguitur quod non. Nihil agit ultra suam speciem, sed citra quandoque; quia effectus non est nobilior sua causa. Sed substantia est nobilior omni accidente. Igitur illa accidentia non possunt aliquam substantiam generare.

In oppositum arguitur. Quia istæ species habent eandem virtutem quam habebant ante transsubstantiationem; quia nihil est eis ablatum, sed additum. Sed ante transsubstantiationem poterant aliquid substantialiter immutare. Ergo et post.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod in sacramento Eucharistiæ remanent accidentia panis sine subjecto quod sit substantia, et aliquid accidens sine quocumque subjecto.

Hanc ponit sanctus Thomas, præsentī distinctione, q. 1, art. 1, q^{la} 3, ubi sic dicit : « Quidam dixerunt quod vera substantia panis simul remanet sub sacramento cum corpore Christi; et, secundum hoc, accidentia non essent in hoc sacramento sine subjecto. Sed hæc opinio in præcedenti distinctione impugnata est, et improbata. — Alia opinio est, quod remanet ibi forma substantialis, et in ea fundantur omnia accidentia quæ ibi apparent. Sed non minus difficile est materialem formam substantialem a materia separare, quam accidentia a subjectis. Et præterea, quantitas non respicit formam nisi ratione materiæ; unde formæ immateriales dimensionibus carent; et ideo, cum alia accidentia mediante quantitate referantur ad substantiam, non poterit forma sine materia existens, accidentium sensibile esse subjectum. Et hoc etiam dicit Boetius, libro *de Trinitate*, quod forma simplex subjectum esse non potest. — Et ideo alii dixerunt quod accidentia illa fundantur in aere sicut in subjecto. Sed hæc opinio stare non potest. Constat enim quod, ante transsubstantiationem, sub dimensionibus panis non erat aer. Ergo, si, conversione facta, sit ibi aer, oportet quod aer subintraverit per motum localem dimensiones illas. Sed iste motus non percipitur. Et præterea, inconueniens est quod subjectum moveatur motu locali ad accidens, et quod accidens transeat de subjecto in subjectum. Probatum etiam est a physicis (4. *Physicorum*, l. c. 76), quod corpus naturale et corpus mathematicum non possunt esse